

Junio, Julio et Augusto, antiphonæ octo, psalmi quatuor, lectiones duæ.

II. Operentur a mane usque ad sextam, et a sexta usque ad nonam vacent lectioni; et ad nonam redent codices. Et postquam refecerint, sive in horto, ubicunque necesse fuerit, faciant opus usque ad horam lucernarii. Nemo sibi aliquid vindicet proprium, sive in vestimento, sive in quacunque re: apostolica enim vita optamus vivere (*Act. II et IV*). Nemo cum murmure aliquid faciat, ut non simili iudicio murmuratorum pereat. Fideliter obediant: patrem suum post Deum honorent; præposito suo deferant, sicut decet sanctos. Sedentes ad mensam taceant, audientes lectionem; si autem aliquid opus fuerit, præpositus eorum sollicitus sit. Sabbato et dominica, sicut consuetudo est, qui volunt, vinum accipiant.

III. Si opus fuerit ad aliquam necessitatem mitti, duo eant. Nemo extra monasterium sine præcepto manducet neque bihat, non enim hoc ad disciplinam perinet monasterii. Si opera monasterii mittantur

A fratres vendere, sollicite caveant ne quid faciant contra præceptum; scientes, quoniam exacerbant Dominum in sanctis suis. Si aliquid emant ad necessitatem monasterii, sollicite et fideliter, ut servi Dei, agant.

IV. Otiosum verbum apud illos non sit. Mane ad opera sua sedeant; post orationem tertiæ eant ad opera sua; non stantes fabulas contexant, nisi forte aliquid sit pro utilitate animæ: sedentes ad opera, taceant, nisi forte necessitas operum exegerit ut loquatur quis.

V. Si quis autem non omni virtute, adjuvante misericordia Dei, hæc conatus fuerit implere, sed contumaci animo depexerit: semel atque iterum communitus, si non emendaverit, sciat se subjacere disciplinae monasterii, sicut oportet. Si autem talis fuerit ætas ipsius, etiam vapulabit. Hæc in nomine Christi fideliter et pie observantes, et vos proficietis, et nobis non parva lætitia erit de vestra salute. Hæc sunt quæ ut observetis præcipimus in monasterio constituti.

ADMONITIO IN SEQUEM ORDINEM ROMANUM.

Veteri Calendario Romano et Liturgiæ Gallicanæ expositioni (a) subjicere libet antiquum Ordinem Romanum, ad usum monasteriorum ab annis circiter mille accommodatum, cujus antiquitatem probat non solum codicis Morbacensis, a quo illum accepimus, character annos minimum 900 repræsentans, sed etiam varii ritus qui in ea præscribuntur, qui jam dudum et in Romana Ecclesia et in Galliarum monasteriis, quibus usui fuisse videtur, obsoleti sunt. Imprimis est illud quod festum de conceptione B. Virginis, qua incarnatum Dei Verbum annuntiante angelo in utero suscepit, hebdomada ante natale Domini celebrari præscribit: quem ritum commendat concilium Toletanum x, anno 636 celebratum, tanquam per diversas jam mundi partes observatum, servantque hactenus Ecclesiæ Mediolanensis et Toletana. Nec minus antiquitatem spirat ordo sacrorum librorum in nocturnis vigiliis legendorum, quo prophetas post Epiphaniam, non epistolas Apostoli, legendos decernit, id quod alio in codice Morbacensi annorum minimum mille præscriptum reperimus. Eamdem anti-

quitatem repræsentare existimamus ritum post communionem annuntiandi a diacono ventura festa, qui nullibi nobis aliquando præscriptus occurrit.

Porro cum plura notatu digna hoc in ordine videantur, illud præsertim singulari consideratione ponderandum est, quod orationes post oblationem dicendæ secretae nullo alio audiente recitandæ præscribuntur, qui locus sufficere debet ad refutandos nonnullos novitatum amatores, qui contra universalis Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, propria auctoritate integram missam, secretas orationes canonemque ipsum eodem vocis sono, hoc est alte pronuntiant. Nam quod respondent variis antiquisque auctoribus secretas et canonem sub silentio recitari præscribentibus, quod, inquam, aiunt, silentium, apud illos cantui tantum, non altæ voci opponi, omnino falsè convincitur, ut nullus sit amplius effugiendi locus, cum SECRETE NULLO ALIO AUDIENTE ante annos mille in Ecclesia Romana aliisque ipsius ordinem sequentibus hæc dicerentur.

(a) Quæ scilicet opuscula Antiquo Ordini quem hic excudimus præmissa sunt in Thesaurio Marteniano ex quo illum expressimus. In illo autem Ordine orthographiam et syntaxin manuscripti servare debuimus. EDIT.

ANTIQUUS ORDO ROMANUS

AD USUM MONASTERIORUM,

AB ANNIS CIRCITER MILLE ACCOMMODATUS EX MS. CODICE MORBACENSI.

IN NOMINE DEI SUMMI INCIPIT BREVARIUM ECCLESIASTICI ORDINIS,

Qualiter in canoniis fideliter Domino servientes, tam juxta auctoritatem catholicæ atque apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, quam et juxta dispositionem Regulæ S. Benedicti missarum

solemnis, vel natali sanctorum, sive officiis divinis anni circuli die noctuque, auxiliante Domino, debeant celebrare, sicut in sancta ac Romana Ecclesia sapientibus ac venerabilibus Patribus traditum fuit.

Primitus enim in Adventum Domini cum omni officio divino a kalendis Decembris incipiunt celebrare, et in ipsa nocte initiantur legi ad vigilias Esaiam prophetam usque in Natalem Domini, semper a capite rependendum ipsum leguntur. Deinde una ebdomada ante Natale Domini de ^a conceptione S. Mariæ incipiunt canere. In ipsa vero ebdomada quarta et sexta feria seu et sabbato stationes publicas faciunt, et omnes jejunium faciant, et missarum solemnium cum omni officio divino de ipso ordine pertinentem celebratur. In ipso vero sabbato sacerdotes et cæteri ministri Ecclesiæ, si necesse fuerit, ordinantur. Si autem et vigilie venerint natalis Domini sabbato præcedente hebdomada, omnem celebrationem vel ordinationem quam diximus usque in sabbatum consummantur. In ipsa autem ordinatione sacerdotum præter quatuor tempora anni, nullatenus ordinatur. Id est primum ver, quod est ebdomada prima mensis primi Martii: ita tamen si ipsa ebdomada infra Quadragesima contigerit. Deinde requiritur aliud tempus æstatis, quo venit mense 4 Junii, quod sequitur ebdomada prima post Pentecostem. Sequitur tertium tempus autumnii, quod est mensis septimi Septembrii, quod agitur tertia ebdomada ipsius mensis. Inde sequitur quartum tempus anni hiems, quod est mensis decimi, December sicut supra diximus. Hoc est ebdomada prima ante Natale Domini ordine quo diximus quarta et sexta feria seu sabbato celebrantur.

Gesta ^b S. Eugeniæ vel ejus commemorationem pridie Natalis Domini tantum ad vigiliis celebrantur. Matutinis vero de supradicto die pridie Natalis Domini ejus missa hora tertia cantatur et celebratur. Ipsa vero die nisi forte dominica contigerit omnes publicum jejunium faciant, et hora nona vigilia Natalis Domini missas celebrant, et *alleluia* minime canuntur. Omni vero tempore quando jejunium faciunt, et hora nona missas celebrant, nec *Gloria in excelsis Deo* nec *alleluia* canuntur. In ipsa vero vigilia Natalis Domini in cœnobiis monachorum nocte superveniente paululum requiescunt; deinde surgentes temporarius, celebrant sicut decet vigilia Domini. Id est expletis novem psalmis cum antifonis seu novem lectionibus de homeliis S. Augustini vel papæ Leonis aut S. Gregorii cum responsoriis, et finiunt vigilia, deinde secuntur matutinae cum antefons. Expletis vero matutinis, præparantur se qualiter missas celebrare debeant; et ^c ut gallus canaverit: mox cum omni

A decore vel ordine sacerdotum ad missas ingredientur. Expleta vero missarum solemnium, communicent omnes, et in ipsa nocte ad missas semper *Gloria in excelsis Deo*, *alleluia* pariter canunt. Deinde mox luce super veniente, procedunt ad ^d aliam ecclesiam, et similiter celebrantur aliam missam sicut et prius. Similiter iterum competente hora diei procedant ad ecclesiam, et celebrant missas sacræ Nativitatis Domini. Unam postquam gallus cantaverit, aliam mane prima, tertiam in die, sicut mos est, in honore sanctæ Trinitatis celebrantur, sicut S. Gregorius in humilibus suis loquitur dicens: *Quia missarum solemnium ter hodie celebraturi sumus; ita et nos oportet ut similiter sanctæ Nativitatis Domini diem in Trinitatis nomine missarum solemnium celebremus.*

B Modus autem vel ordo in agendis missarum solemnium tam ipsius diei, quam et omnium principalium festivitatum talis esse videtur. Cum autem hora appropinquaverit, ut missas introeant, ingrediuntur sacerdotes et levitæ in sacrarium, induent se vestibus, cum quibus missas celebrare videntur. Ordinantur per ordines, sicut mos est, ipsas oblationes reverenter ad sedem suam, et iterum lavet manus. Item in monasterio ubi non ingrediuntur feminæ, postquam primitus sacerdos lavet manus, ingrediuntur sacerdotes cum levitis in sacrarium, et accipient oblationes, et procedant de sacrario, et offerentur super altare, canentibus interim fratribus offerturia. Deinde vero accedens sacerdos ante altare, et accipiens proprias oblationes elevatis oculis et manibus cum ipsis ad cœlum orat ad Dominum, et ponet eas super altare. Similiter offerat et vinum. Diaconi vero vadant retro sacerdotum, et ordinantur super ordinem. Subdiaconi autem ambulant retro altaris, et statuuntur per ordinem. Sacerdotes autem stent in ordine suo ante altare. Tunc vero sacerdos dextra lævaque aliis sacerdotibus postulat pro se orare; et inclinans vultum ad terram, dicat orationem et ^e secrete nullo alio audiente, nisi tantum ut venerit ad hoc verbum *Per omnia sæcula sæculorum*, et dicant omnes *Amen*. Statim dicat *Dominus vobiscum*. Deinde dicat *Sursum corda*. Deinde *Gratias agamus Domino Deo nostro*, et ingrediatur in præfationem, ita ut ab omnibus pene audiat. Deinde cum venerit ut dicat *Adorent Dominationes*, omnes sacerdotes vel levitæ inclinent vultum ad terram. Cum autem pervenerit ut dicat *Supplicet confessione dicentes Sanctus*, inclinent iterum diaconi, clerus, cum omni populo,

^a Illic locus de activa conceptione B. Virginis qua Verbum divinum in uero operante Spiritu sancto concepit, intelligendus est.

^b S. Eugeniæ memoriam in idus Septembris olim recolant Cassinenses monachi uno cum SS. Prothi et Hyacinthi.

^c Illic non obscure indicat primam in Natali Domini missam in primo galli cantu circa mediam noctem celebratam fuisse, quod præscriptum in pluribus iisque antiquis Sacramentorum libris reperimus, ac

demonstravimus in libro de Antiqua ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis, pag. 88.

^d Hinc colliges tres in Natali Domini missas non in una, sed in diversis ecclesiis celebratas fuisse, quod alias a nobis probatum est.

^e Hic locus egregie confirmat ea quæ in libro 1 de Antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 4, art. 8, n. 8, diximus de secretis ecclesiæ missæ sub iuramento pronuntiandis.

Proclamantibus vero cum magna reverentia et tremore *Sanctus*, incipit sacerdos canonem dissimili voce leniter. Ipsi vero presbyteri, diaconi, subdiaconi semper permanent inclinati usque in eo loco ubi dicant, *Nobis quoque peccatoribus*, et mox ut veniret ad hoc verbum *propitio ac sereno vultum respicere digneris*, inclinato capite sacerdos ante altare suppliciter deprecans usque dum dicit, *ut quotquot ex hac altaris participatione*. Cum autem surrexerint subdiaconi, unus ex ipsis venit, et accipit patenam ab acolytho, et revertetur in ordine quo steterat, et tenens eam ante pectus suum usque dum dixerit *Omnis honor et gloria*. Sacerdos vero cum venerit ut dicat *per ipsum et cum ipso* elevat oblationes proprias de altare, et mittit in ore calicis, tenente ipso calice a diacono, sublevans eum modice usque dum dixerit *Per omnia* **B** *sæcula sæculorum, amen*. Sacerdotes vero et diaconi usque in istum locum semper manent inclinati, præter tantum diaconus qui ipsum calicem sublevatur. Subdiaconus autem qui patenam tenet, tradat eam ad ipso verbo diacono, ubi dicit *omnis honor et gloria*; et ille tenet eam usque dum finiatur oratio dominica, et porriget eam sacerdoti. Sacerdos vero post orationem dominicam oratione subsecuta, accipiens oblationes et ponat eas in patenam, et frangat modicum de ipsa oblatione, et mittat in calicem ter faciendo crucem, et dicat *Pax Domini sit semper vobiscum*, et faciat populus pacem. Deinde vero sacerdotes confrangant ipsas oblationes super altare, si necesse fuerit. Diaconi vero juxta altari, tenente subdiacono ante ipsis patenam, et ^a confrangant ipsas oblationes, canentibus interim fratribus *Agnus Dei*. Deinde communicent sacerdotes et levitæ in ordine suo. Postea quidem accipiens diaconus calicem in dextera parte altaris, elevans eum in manibus suis, pronuncians natalitia sanctorum in ipsa hebdomada venientia, ita dicendo: *Illæ feria veniente, natale est S. Mariæ, aut confessoris, vel alius sancti* cujus evenerit, secundum martyrologium. Et respondent omnes *Deo gratias*. Post hæc canentibus interim antifona ad communionem, communicantibus iis omnibus, dat orationem sacerdos, et dicat diaconus *Ite, missa est*. Respondentibus omnibus *Deo gratias*, et completum est. Post hæc revertetur sacerdos ad sacrarium cum ministris ecclesiæ, vel omni ornatu, sicut prius exierit, et exuant se vestibus cum quibus jam missarum solemnia celebraverunt, et consummata sunt omnia.

Post nativitatem vero Domini usque in octabas, præter sanctorum festivitatis, omne officium divinum tam in die quam in nocte de ipsa die natalis Domini est canendum. Octabas Domini in omni officio divino nocte et die, ordine quo in natali Domini in omnibus observatur. Deinde usque in Theophania, præter dominicis diebus vel natalitiis sanctorum, de cotidianis diebus canetur. Pridie Theophaniæ ^b jeju-

nium publicum faciant, et hora nona missa celebrentur, et medio noctis tempore ingredientur ad vigiliis, psalmos quoque vel lectiones vel responsoria de ipso die canentes tantum de muneribus Magorum et baptismo. De nuptiis vero quæ factæ sunt in Chanan Galilææ, octabas Theophaniæ celebrantur. Omne ebdomada usque in octabas Theophaniæ canuntur. Missa vero Theophaniæ ordine quo diximus natale Domini secuntur. Postea quidem, die secundo, mense Februo, quod est iv nonas ipsius mensis, celebrantur cum magno decore vel accensis multis luminibus purificationem B. Mariæ, quando obtulit Dominum Jesum Christum in templo, et accepit eum B. Simeon in ulnis suis, et benedixit Deum.

Post nativitatem vero Domini usque quindecim diebus ante initium Quadragesimæ Isaiam atque Jeremiam et Ezechiel et Daniel, seu et xii prophetas minores cum expositionibus eorum legantur. Epistolæ vero Pauli apostoli omni tempore in posterioribus lectionibus in die dominica ad vigiliis legantur. Tractatus vero S. Hieronymi, Ambrosii, vel ceterorum Patrum, ut ordo poscit, legantur. In tempore veris, hoc est quindecim diebus ante initium Quadragesimæ, quinque libri Moysi, cum Hiesu Nave et Judicum atque Rut usque quindecim dies ante Pascha. Inde vero librum Isaiæ prophetæ et Lamentationes Hieremiæ, Osee et Zachariæ unde ad passionem Christi convenit. In diebus autem Paschæ epistolæ apostolorum et Actus atque Apocalypsis usque Pentecostem. A Pentecoste vero libri Regum et Paralipomion, deinde Salomonis libri, Job, Tubiæ, Judith, Esther atque Machabæorum usque calendas Decembris.

In vigiliis omnium apostolorum et ceterorum sanctorum pluralium omnes jejuniis faciunt. Et hora nona natale eorum prævenientes absque *Gloria in excelsis Deo* et *alleluia* missarum solemnitas celebrantur, et ipsa nocte ad vigiliis passionibus eorum vel gesta leguntur. Quod si in Dominica natalitia venerint tam in adventu Domini quam et omni tempore, psalmi cum eorum passionibus, vel gestis cum responsoriis vel antefonis de istis pertinentibus canuntur. Si autem gesta eorum minor fuit, quod ix lectionibus sufficere non possit, in tribus tantum posterioribus lectionibus leguntur, et octabæ eorum cum responsoriis vel antefonis suis, missarum solemnitas, sicut et in die primo festivitates eorum ita celebrantur. Quod si in eorum octavas natale sanctorum venerit, præcedente die octavas eorum celebrantur per auctoritatem sanctæ Regulæ. Omni tempore diebus dominicis legitur lectio S. Evangelii secundum tempus quo fuerit, et sequitur hymnum *Te Deum laudamus*, et versum cum *Kyrie eleison* et finiuntur Vigiliæ. Matutinis vero laudibus diebus dominicis, præter Quadragesimæ cum *Alleluia* sunt canendi. Una autem

^a Hinc colliges non minores oblatas pro populi communiione olim consecratas fuisse, sed maximas; quas diaconi in plures particulas confrangebant.

^b Jejunium olim in vigilia Epiphaniæ a fidelibus

observatum fuisse singulari libello demonstravit olim Johannes Des Lions, decanus ecclesiæ Silvanectensis adversus prophanas quorundam superstitiones, qui hanc diem potationibus insuunt.

ebdomada ante natale Domini ex conceptione B. Mariæ incipiunt celebrare.

Hoc autem quod super scribi debuimus septuagesimo die ante Paschæ tamen dominica ingrediente Septuagesima apud eos celebrant. Hoc enim faciunt pro reverentia tantæ festivitatis, vel pro eruditionem populi, et per numerum dierum cognoscant adpropinquare diem sanctum Paschæ, et præparet se unusquisque secundum devotionem et virtutem suam, qualiter ad ipsum sanctum diem cum tremore et reverentia, contrito corpore et mundo corde perveniant, et non solum septuagesima, sed et sexagesima, quinquagesima, quadragesima, tricesima, vicesima, decima et octava semper per ipsum ordinem celebrantur, ut quantum plus cognoverint adpropinquare diem sanctum Paschæ redemptionis nostræ, tanto amplius ab omni inquinamento carnis vel immunditia se abstineant, ut digni sint communicare corpus et sanguinem Domini. Monachi vero et Romani devoti vel boni Christiani a quinquagesima, rustici autem et reliquum vulgus a quadragesima.

Primum autem jejunium iv et vi feria post Quinquagesima, id est una ebdomada ante Quadragesima apud eos publice agitur. Inde vero prima ebdomada in Quadragesima iterum iv et vi feria seu et sabbato stationes publicas faciant, et jejunium cum xii lectionibus in ipso sabbato consumantur. Et si fuerit ipsud sabbatum de Martio mense, ordinationem sacerdotum faciant. Si autem in alia ebdomada vel tertia quando pontifex judicaverit, iterum iv et vi feria seu et sabbato cum xii lectionibus sicut prius ordinare videntur, et ordinantur qui ordinandi sunt.

A Quinquagesima vero incipiente usque quinto decimo die ante Pascha jam diximus ad vigiliis Eptaticum leguntur et responsoria inde canuntur. Quod si inde responsoria minus habuerint, quadragesimalis responsoria canentur. In matutinis vero laudibus Dominicis a Quadragesima incipient, id est *Miserere mei Deus*. Inde sequatur psalmus centesimus xvii, cum antefonis tam de Prophetis quam de Evangelio canentur. Et a xv die ante Pascha lectiones vel responsoria et antefonæ cum versibus de passione Domini incipiant celebrare. Quinta vero feria ante Pascha, id est cœna Domini ad missas antefona ad introitum non canuntur, apostolum et Evangelium non legatur, nec responsorium cantatur, nec salutatio presbyter, id est *Dominus vobiscum*; nec pacem faciant usque in sabbato sancto. Sed cum silentio ad missas ingredientur. Et in ipsa nocte in vigilia parasceven, id est vi feria non canuntur, *Gloria*, nec *Kyrie eleison*, nec signum pulsaverit, usque, in sabbato sancto ad vigiliis. In parasceven autem, quod est vi feria passio Domini, hora nona colliguntur omnes in ecclesiam, et legantur duæ lectiones, quas

A in capitulare vel in sacramentario commemorat cum responsis suis, et legatur passio Domini secundum Johannem, et dicantur illas orationes a presbytero, quas in Sacramentario commemorat. Post unamquamque orationem admonentur omnes a diacono. Dicit *Flectamus genua*: ita prosternent se omnes in terra cum lacrymis vel contritionem cordis. Oratione facta, iterum admonentur a diacono ut surgant, et dicat diaconus, *Levate*. Expletas autem ipsas orationibus, dicat presbyter, *Oremus*. Et dicat orationem, *Præceptis salutaribus moniti*, cum oratione dominica, et sequitur oratio, *Libera nos, quæsumus, Domine*. Et accipit diaconus corpus et sanguinem Domini, quod ante die cœna Domini remansit et consecratum fuit, et ponet super altare, et communicant omnes corpus et sanguinem Domini, cum silentio nihil carentes. Et in ipsa nocte lumen in ecclesia non accenditur, sed absconditur, ut non ab omnibus videatur, usque in sabbato. His expletis ingrediuntur ad vespervas, et ipsa nocte omnes devoti monachi vel viri venerabilis et religiosi abstinentes se ab omni delicia corporale, ut præter tantum panem et aquam cum aceto mixtum non sumentes cibum. Cui autem Dominus virtutem dederit pertranseunt sine cibo, usque in vigilia Paschæ in sabbato sancto, hora nona diei ingrediuntur ad vigiliis.

Primitus enim induunt sacerdotes una cum diaconibus vestibis cum quibus vigiliis celebrantur, et procedunt de sacrario levitæ tantum cum subdiaconibus duo et duo juxta se adhærentes, sine luminibus accensis, canentibus interim fratribus lætania. Ut autem ad altare venerint stantes in ordinis suis, ille qui cereum benedici debet, stans in medio postulans eos pro se orare, et faciens crucem super cereum, et accipiens a subdiacono lumen quod in parasceve absconsum fuerit, et accenso cereo dicit, *Dominus vobiscum*. Respondent omnes, *Et cum Spiritu tuo*. Deinde dicit, *Oremus*, et dicit orationem primam. Deinde dicit, *Dominus vobiscum*. Respondent omnes, *Et cum Spiritu tuo*. Iterum dicit, *Sursum corda*. Respondent *Habemus ad Dominum*. Iterum dicit, *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Respondent, *Dignum et justum est*. Vel omnia sicut in sacramentorum commemorat. Benedicto autem cereo, revertentur in sacrario. Deinde procedent sacerdotes de sacrario cum diaconibus juxta ordines suos cum accensis cereis de ipso lumine cum turabulis thimiamatum. Iterum canuntur lætania. Ipsa autem expleta, stantibus vero et dat sacerdos orationem retro altare, sicut mos est. Et sedentibus sacerdotibus in ordinis suis, et ingredientur ad legendum. Post unamquamque lectionem dat sacerdos orationem, sicut in Sacramentorum commemoratur. Expletis vero lectionibus, cum canticis eorum et benedictionibus, revertentur omnes ministri ecclesiæ in sacrarium cum accensis

* Huic voto favet concilium Quini-sextum can. 89. *Dies salviferæ passionis in jejunio, et oratione, et cordis compunctione peragentes fideles, usque ad mediam magni sabbati noctem jejunare oportet. Et Regula Ma-*

gistri, cap. 58 decernit, ut qui præter infantes infirmos et senes, die Parasceves cibi aliquid gustare voluerit, benedictione quæ cibi impenditur privetur.

cereis, expectantes horam qua ad missas ingredi debeant. Cum autem stella in cœlo apparuerit, statim iterum incipiunt tertio lætania, et procedunt de sacrario sicut ante fecerunt cum cereis accensis vel turabulis. Expleta autem lætania, incipiat abbas aut presbyter qui missas celebretur, *Gloria in excelsis Deo*, Hoc finito, legatur lectio Apostoli et cantetur, *alleluia, Dominus regnavit*. Tractum qualem volueris, et legatur lectio Evangelii, aut episcopus, aut presbyter legatur. Ad communionem cantetur, *Agnus Dei*, et complebuntur omnia missarum solemnitas ordine sicut reliquis diebus Dominicis. Et in ipsis vii diebus Paschæ, et in omni officio divino, ita agatur sicut et diem sanctum Paschæ præter tantum psalmum de unamquemque die psalluntur semper cum *alleluia* et usque quinquagesimo die a Pascha, quod est Pentecostem, tam psalmi quam responsoria cum versibus et antefonis omnes cum *alleluia*, sunt canendi. Ascensione vero Domini, cum omni officio divino de ipsa die pertinente sicut reliquis diebus dominicis celebrantur. Responsorium vero vel antefonæ, usque in sabbato Pentecosten de ascensione Domini, canuntur.

A Sabbato Pentecosten omnes jejunium faciunt, et omne officio divino tam et lectiones quam et baptismum ordine quod diximus in sabbato sancto celebrantur. Tanto hora septima incipiente ingrediuntur ad vigiliis vel missarum solemnitas, ut hora nona diei expleta omne consumentur. Diem sanctum Pentecosten, sicut et diem sanctum Paschæ celebrantur. Ipsa vero ebdomata post Pentecosten a iv et vi feria seu sabbato jejunium faciunt, et missarum solemnitas cum omni officio, sicut et in Sacramentorum commemorat, celebrantur. Octavas autem Pentecosten sicut et dominica præcedente ita celebrentur. Post hos vero dies anni circulus quæ adventum Domini præter natalitia sanctorum, vel quod commemoravimus, tam psalmi quam responsoria, vel antefonæ et matutinis et vespertinis laudibus de cotidianis diebus canuntur. Agenda vero mortuorum ad vigiliis, psalmi quoque et lectiones cum responsoriis vel antefonis in matutinis laudibus sine *alleluia*, de ipsis est canendum. Ad missas eorum *Gloria in excelsis Deo nec alleluia* cantatur, et consummata sunt omnia.

INDEX

IN REGULAM S. P. BENEDICTI.

A

Abbas nomine quis intelligendus, 63.
 Abbas nomen simplici monacho datum, 63. Item presbyteris, *ibid.*
 Abbas non tam propter bonos quam propter malos institutus, 377.
 Abbas a congregatione et de congregatione eligendus, 854 et seq., 854.
 Abbas eligendi singularis ritus ex Regula Magistri, 854. In abbatis electione natalium aut antiquitatis non habenda ratio, non tamen omnino posthabenda, 857.
 Abbates debent esse sacerdotes, 858.
 Abbas doctus esse debet, 221, 856, 841.
 Abbati necessaria discretio, 846.
 Abbas prudens sit in correptione, 842. Misericors, 841. In se austerus in alios sit benignus, 73. Fragilitatem suam attendat, 843.
 Abbatis quanta debeat esse sollicitudo erga delinquentes, 377, 380.
 Abbas de subditorum culpis puniendus, 63, 66.
 Abbas fratribus sit verus pater, 63. Ut se gerat erga fratres occultas sibi cogitationes revelantes, 221 et seq.
 Abbas duplicem curam debet subditis, 67.
 Abbas curam non curationem debet subditis, *ibid.*
 Abbas temporalia subditis debet procurare, 66.
 Abbas plus prosit quam præsit, 840. Studeat plus amari quam timeri, 844. Oderit vitia, diligat fratres, 842.
 Abbas majoris nomen factis impleat, 63.
 Abbas verbis et exemplis præluere debet, 68, 69, 71.
 Abbas præ omnibus Regulam observet, 97, 178, 847.
 Abbas cum fratribus dormire debet: ejus lectus in medio dormitorii, 348, 349. In refectorio cum hospitibus reficiat, 725.
 Abbas a coquinæ officio an eximendus, 442. Certis diebus illam olim exercebat, *ibid.*
 Abbas quare officii divini tempus significare jubetur, 606.
 Abbas infirmos visitet, 468. Eorum curam suscipiat, et qualem, 466.
 Abbatis potestas in tribus sita, 64. Imperare supra, infra, aut contra Regulam non potest, 148, 149.
 Abbas an possit universam congregationem a carnis abstinentia dispensare, 533.
 Abbas in deliberatione capitulari quomodo se gerat, 95. Fratrum sententias cum senioribus libret, *ibid.* Omnis cum voluntate abbatis agenda, 639.

Abbas oratio pro fratribus in Quadragesima elevantibus, 658.
 Abbas sit irreprehensibilis, 71. Vitia abbati fugienda, 844. In abbate reprehenditur nimia temporalium cura, 83. Ea tamen negligere debet, *ibid.* Nec super decanos omnem monasterii curam rejicere, 342.
 Abbas non sit litigiosus, 88. Ad placita sæcularia non veniat sine consensu episcopi, *ibid.*
 Abbas vitiosus deponendus ab episcopo, 69, 873. Maxime proprietarius, 424.
 Abbas inducens feminas in monasterium deponendus, 154, 155, 156. Excommunicandus, 154, 155. Recludendus in alio monasterio tribus mensibus in pane et aqua, 154.
 Abbas non tam numero, quam virtute fratrum gaudeat, 84.
 Abbas rationem reddet pro animabus sibi creditis, 89, 90.
 Abbatum timendum futurum judicium, 64.
 Abbates S. B. consolatur de periculo regimini, 66.
 Abbatem spernens Deum spernit, 68. Sine abbatibus Regularibus monasteria tempore Hildemari, 42.
 Abbatissæ nomen diaconissæ datum, 221.
 Abbatissæ juvenulæ non instituendæ, 857.
 Abdicatio triplex, 427.
 Abnegare semetipsum quid sit, 118.
 Abnegatio propriæ voluntatis Regule Benedictinæ scriptus, 8.
 Abstinentia a carnibus per totam vitam in penam fornicationis, 111. Et simultatum, 167.
 Abstinentiam violantes ut puniendi, 531.
 Acceptio personarum vitanda, 75. Quid sit, *ibid.* In quibus habeat locum, 74.
 Accipere aliquid sine abbatis iussione vetitum, 423.
 Actus sæculi monachis fugiendi, 127. Quare, 127, 128.
 Ada ardi (S.) attentio ad opus Dei, 350. Singulis monachos suos singulis hebdomadis privatim consolatur, 220.
 Adolescentia, 398.
 Adulteri variæ genera, 110.
 Edificia veterum monachorum simplicia, 223. Superbia improbat, *ibid.*
 Egroti et debiles quid differant, 476.
 Etatum variæ divisiones, 480.
 Etas et intellectus quid differant, 398.
 Affectus rerum radicatus amputandus, 422.
 Affectus alicujus rei, ejusdem privatione puniendus, 128.
 Afflicto multiplex, 127.